Reverendo admodum Præſuli,

Vereque Virtuoſiſſimo;

Quia

Omnigenæ Eruditionis dotibus accumulatiſsimo,

IOHANNI GAVDENTIO:

Dudum *SS.* Th. Doctori, & jamjam

Celeberrimæ Civit. *Exoniæ, Devoniæ, Cornubiæque*

Dom. EPISCOPO;

Vetuſtiſsimæ ſuæ Familiæ, noſtrique ſeculi

Coryphæo

P. F. *hoc Illi maximo Muſarum*
Columini, & Mæcænati

D.D.D.

Reverendo admodum Præſuli,

Vereque Virtuoſiſſimo;

Quia

Omnigenæ Eruditionis dotibus accumulatiſsimo,

IOHANNI GAVDENTIO:

Dudum *SS.* Th. Doctori, & jamjam

Celeberrimæ Civit. *Exoniæ, Devoniæ, Cornubiæque*

Dom. EPISCOPO;

Vetuſtiſsimæ ſuæ Familiæ, noſtrique ſeculi

Coryphæo

P. F. *hoc Illi maximo Muſarum*
Columini, & Mæcænati

D.D.D.

REX & EPISCOPUS;

VEL

PANEGYRICUM

PRO

HIERARCHIA RESTAURATA,

In Reverendiſſimis

PATRIBUS

ET

PRÆSULIBUS

AD

PARIUM PARLIAMENTUM

Novemb. 20mo MDCLXI

Revocatis, & feliciſſimè reſtitutis:

Heroico Carmine decantatum.

Et Ipſis Præſulibus, nec non pientiſſimis Eccleſiæ Primoribus Inſcriptum.

LONDINI,

Typis ROGERI DANIELIS, & *J.* de *Rubrâ-Manu.*

Salutis Æra } — { cIↃ IↃc LXII.
Caroli Regni } — { XIV.

Harvard College Library
In Memory of
Lionel de Jersey Harvard
Class of 1915
November 17, 1932

PANEGYRICUM
PRO
HIERARCHIA RESTAURATA:

Reverendiſſimis Eccleſiæ Primoribus inſcriptum.

SYderei ſalvete Senes! *Terreſtria* nobis
Numina! Votivo donataque Nomina Cœlo.
Inſpiratæ Animæ! Quis *Vos* ab origine veſtrâ
Vaſa dicata DEO, & *Divino Jure vocatos*
Iverit Inficias? *Vos* Pignora chara *Parentis*,
Depoſitumque Poli; Cuſtos Quos *Ille* per omnes
Terrarum, Pelagique minas, per Caſtra, per Enſes,
Tranſverſas rapuitque vices; velutique ſub alâ
Cœlitùs expansâ, Clypeoque ſatellite, texit
Incolumes; *notique* ciens ad limina *Tecti*,
Siſtit, in afflicti Reduces ſolamina Regni.
Vates vera loquor. Quid enim niſi triſte Cadaver?
Plumbea Progenies? & Pondus inutile Cœlo
Laïca Turba ſumus, noſtris ſi *Clerus* in oris
Nubilus occiderit? ſi non oſtenderit orbi
Sol Jubar; & proprio *Præſul* Sol major in orbe

Non

Non Face ſpeluncas, latebraſque *volubilis* omnes
Viſerit, exſangues Radiiſque *Animaverit* artus.
Iſte diu *Morbus*; longùm *Metus* iſte Britannos
Afflixit Populos, ſediſſe ſilentibus Vmbris
Damnatos, nec Mane novum, rurſuſve Serenum
Expectâſſe Diem. Sed jam ſententia Genti
In meliùs mutata redit: Præſentia nempe
Veſtra laborantes animos firmavit, & omnes
Diſcuſſit Virtute metus. Vaneſcere noctem
Vidimus, & niveis reditura Crepuſcula terris
Aurea, venturi ſimilemque *Britannia* Sudi
Spem, Genio meliore fovet. *Feriatus* in ævum
Phoſphorus almus eat, qui *Vos rata Sydera* mundo
Reddidit; Illa Dies memorabilis Idibus eſto
Brutigenis, vel ſola *Sacros* factura *Novembres*.
Chara DEO, *Regi*que cohors! Quos duxit *Uter*q;
Jure ſuo, magniſque datos jam deſtinat actis.
Sumite deſertas *Paſtores* ſumite ſedes;
Depulſiſque Lupis patriis ab Ovilibus, Hœdos,
Balantumque Greges, *ſolito* jam claudite *Septo*.
Sumite *Prælati*, divinæ ſymbola Sortis;
Annulus auricomans digito, Capitique coruſcans
Infula, ſignatos informet luce *Britannos*.
State *Pares*; ſuperetque omnes Concordia caſus,

Palla-

Reverendiſſimis Eccleſiæ Primoribus inſcriptum.

*Palla*que veſtra Patres Trabeatos, P*alla* Tribunal
Par tegat, *Integra*, & noſtro non *Sciſſilis* ævo:
Quâ *Superinduta*, alternæ, ſine frigore conſtent
Membra Domus, nec fulta *Sacro* ventura vacillent
Parliamenta Pedo. Præſago pectore certos
Auguror eventus. Nam quis ſub *Rege* negabit
Atlantes vos eſſe *Globi*, Columenque minoris
Syderis? Incumbit Quorum *Cervicibus* æquis
Imperii ſublime *Caput*; ſignandaque faſtis
Æternis Documenta dedit Diademata Regum
Funeſtas ſubitura vices, & cuncta referri
In Chaos, *Aula* ſuam niſi ſuſtentaverit *Ædem*:
Ni geminas junxere manus; & *mutua Sceptra*,
*Mitra*que ab alternis ſteterint librata lacertis.
Sceptrifer Iſta ſagax Oracula Dïa *Jacobus*
Fudit, & admonitis prædixit Damna *Britannis*:
Ille *Monarcharum*, indiviſaque damna *Miſelli*
Monſtrabat *Populi*, zelus quà extruſerit effrons
HIERARCHIAM, Delubraque fracta furore
Plebeio, ſpretæque jacent ſine luce CORONÆ.
Senſimus hæc, tepidos nec jam ſiccabimus imbres,
Præſulis Eximii quoties, *Regis*que Beati
Fata recordamur; cecidit quia *Martyr* Uterque,
Proque *Focis*, *Aris*que ſuis par Hoſtia facti,

Reverendiſſimus *Gulielmus* nuper Archiepiſcopus Cantavar. & auguſtiſſimus *Carolus* primus.

Inſonti rabidas rorârunt Cæde Secures.
Senſimus ereptos *Proceres*, & ab ordine ſummo
Stellatos *Satrapas*, Qui fidi ad fata, ſequuti
Auguſtum Dominum, Currumque per aſtra, renato
Sydere *Caroleam* conſtellavere *Quadrigam.*
Senſimus in Triviis (quod abacti Sede magiſtri)
Diſperſum, palanſque *Pecus*, quà Paſcua rara,
Rara ſalutiferi ſapiebat Pabula Fœni,
Nec niſi pollutas impuro fonte Paludes.
Illa erat infelix *Heſterni* futilis *Ævi*
Fraus pia, pro ſolido ſua Quod Zizania Grano,
Et Tribulos pro Pane dabat, *Panis*que dabatur
Si modo, *Fractus* erat, nec tunc Frangentibus impar
Hæc *Nova*, peſtiferæ *protenſa*que *Lumina* Sectæ
Deſipientis erant, Quæ dogmata inania vulgo
Obtruſit vacuo, *fatuis*que tot *Ignibus* actos
Abduxit Populos, medioque *immerſit* Averno.
Fingimus? aut mœſtum contracto carmine Verum
Pandimus Inviti? nam quis Popularibus *Anglis*
Sævius inſultans, maledictis ſcindet acerbis,
Et vix ſanati refricabit Vulnera ſæcli?
Tum ſua Sceptriferæ decedens Gloria Genti
Fugit, *Anarchiæ* poſtquam Populare venenum
Fœdârat Vultus, Facieſque miſerrima Regni

Sanguine

Mos apud Anabaptiſtas in cœna Dominica celebranda.

Reverendiſſimis Eccleſiæ Primoribus inſcriptum.

Sanguine ſparſa ſuo, cæcoque ſepulta latebat
Pulvere, poſt tantos vix agnoſcenda tumultus.
HincSeges,hinc*Britonũ* compendia ſumma malorum
Ille ubi *Conventus* (Cœtum? dicamve Senatum)
Longum ſedit iners, noſtræque Gravamina *Trojæ,*
Et propè *bis decimum* Bellum protraxerat *annum.*
Ille quidem propriis quæ prima Foramina telis
Fecerat, Iſta citò poterat ſarcire ſine ullo
Fragmine, & integras iterum componere Partes;
Ni furor, & rabies, Curvæque venefica Pubis
Suaſerat *Impietas*, haud ſalvum abſiſtere cœptis
Degeneri Populo, nullâque recondere Thecâ
Tutiùs Exertum quàm per *Sua Viſcera* Ferrum.
Sic ubi lene daret, Rigidum Cataplaſma *Chyrurgus*
Durior infligens, (& vulnere Fœdior ipſo
Quo Pus exprimitur) dilatæ damna Medelæ
In ſua lucra trahit. Luimus,veteresque Chyrurgos
Horremus memores, oculis quia cruda cicatrix
Inſtat,& impreſſos vel adhuc reminiſcimur ungues.
O quoties Pacem, Bellum lethale peroſi
Supplicibus Cives, & Turba Precaria chartis
Sollicitâre ſuis? quoties cum Cive colonus,
Cum*Satrapis*generoſusEques,cumConſuleClerus
Certabant alacres ſeſe ſubmittere *Regi*

Depulſo,

Depulſo, Reditumque humili de more Rogabant?
Attamen hos homines (homines ſi rite vocandi
Quos potare juvat lachrymas & ſanguine paſci)
Nil gemitus movere pii; nec verba Precantum
Mollivere magis, ſurdas quàm naufraga Rupes
Vota, vel inſanos flectunt ſuſpiria fluctus.
Sed tandem dabat *Una Dies*, quod mille negabant
Vota, nihil Quæ quum poterant *Acheronta* movere,
Demiſſos flexere *Polos*, & *Numina* Cœli
Humanis miſerata malis. *Diſcordia* demens
Ergo Catenatis frontem vittata Ceraſtis
Trux oculos, & torva genas, Caput Ædibus audax
Inſerit attonitis, & *Conciliabula* ſolvit.
Obſtupuit Conventus inops, & abire paratus
Quum *Democraticis* ſua vix jejunia Turbis
Fercula prima tulit, menſiſque pavore remotis
Surrexit, Populo *ſemeſa*que *Fruſta* reliquit,
Et, niſi *Plebeio*, nulli placitura Palato.

Plaudite! Terribili truncata eſt *Cauda* Draconi
Cui nullum fuit ante *Caput*, nec *Corporis olìm*
Vmbra relicta ſui, de clunibus ecce revulſa eſt
Cauda minax noſtro Quâ *Solem* umbrabat Olympo;
Et Quâ verrebat revolutas Sydere *Stellas*,
Turbabatque *Solum*. Proh ſæcli Infamia! Pubes
Perdita!

Reverendiſſimis Eccleſiæ Primoribus inſcriptum.

Perdita! & in Patriæ ſubverſas nata ruinas
Conjurata cohors! Quæ poſtquam in libera Colla
Impoſuit *Servile Jugum*; poſtquàm *horrida Bella*
Moverat, extremo nimis execranda Nepoti;
Poſtq; duodecimum, vel plus *Regnaverat* annum;
Feſſa malis, labefacta minis, ſocioque furore
Succubuit; Moriensque ſuis *Exta* abdidit antris,
*Membra*que ſignato non eruptura Sepulchro.
Sic ubi *Cæſareum* certans extinguere Nomen
(Mutarât *Patrium* Privigno Conſule *Regem*)
Roma, ſuis mox pulſa Jugis, proprioque ruebat
Robore; Queiſque prius *Gladiis* ſuperaverat orbem,
In ſua *vulnificos* vertebat viſcera *contos*.

Hæc Facies, hic Finis erat; ſed Fine, futuri
Ex Illo, frons quanta mali! vix *acta* ſoluto
Fabula longa choro, quam mox crudelior *Actis*
Exitus, & *nobis nondum finitus Oreſtes*
Dat Scænæ Fomenta novæ. Sic colla *Meduſæ*
Secta Colubriferæ, graviore puerpera Colla
Vulnere, parturiunt; *Hydr*âque repullulat Hydra
Crebriùs, *Herculeæ* totiès opprobria *Clavæ*.
Sutilis è vario Centone *Senatulus* iſte
Diſcolor, *Angliaci* Fæx, & Farrago popelli
Parvus, egenus erat, nec ſtirps fuit æqua *Sorori*

 Dotibus

Dotibus ingenii, nec par convenerat armis.
Nil tamen *intentâ feritate*, nihilque nefandis
Inferior fuit Ille *minis*. Proh prodiga Turba!
Turba gravis *Regno*, multoque nocentior ÆDI,
Fervida vociferans *Radice* revellere *Ramos*
Stirpitùs, & *Vineam*, paritèr Vineæque *Miniſtros*
Perdere, & extincto DECIMALIA tollere *Clero*.
Sed *Superi* vetuere minas, Pietasque ſub Illo
Tempore (qualis erat) væſanis obſtitit auſis.
Hoc *Superi* vetuere ſcelus; Patresque verendi,
Vos Genus Æthereum, Superis delapſa Poteſtas,
Circumvallatam poſthæc præſtabitis *Ædem*:
Ut ſub Tegminibus veſtris *frondoſa* vireſcens,
Altius infixis per Terræ viſcera Fibris
Arboris inſtar eat, Tempeſtatumque furores
Deſpiciens, Patriis *Fructum* poſcentibus *Anglis*
Præbeat, & Cœlo Ramos, & Brachia pandat.

En! video nova *Templa* ſtrui! Jam priſca redire
Ruderibus rediviva ſuis! Mox Culmina *Templum*
Tollere PAULINUM, nullâque premente ſenectâ
Sumpturum Juvenile Decus, Præſentia tantum
Præſidis, auſpiciis animos fidentibus auxit.
Adſpicite, & veſtræ *Cives* miſereſcite *Matris*,
Vos *Grandæva* vocat, veſtraſque repoſcit *anhela*
Suppetias,

Intuit Reverendum admodum Doctorem, *Io. Barwick* Divi Pauli Decanum.

Reverendiſſimis Eccleſiæ Primoribus inſcriptum.

Suppetias, audite preces, nam Gloria vobis
Quæ ſtabit, Cadet *Illa* Pudor. Succurrite lapſæ;
Et lachrymas abolete Genis. Laxare quid obſtat
Nunc Animos, Loculoſque pares, dum *Pace* potiti
Vndique, & extentis creſcunt *Pomæria* Tectis?
Cum *Plateis*, aperite *Manus*; ut quę modo *Dextra*
Ferrea, belligeri reſerabat limina *Jani*;
Aurea, pacifici componat limina *Pauli*.
Altera ſi *Terris Eccleſia miles in Armis*
Audiit, *Illa* fuit Quæ Partes Militis omnes
Saucia ſuſtinuit, *Patiensque* Pericula *vicit*
Vltima, *Palmiferis* poſthæc ſervanda *Triumphis*.
Id Pictas ſperare jubet; Quia Tela faceſſunt;
Siccaque ſopitum recipit vagina Metallum;
Et ſitus imbelles Galeas, & rodit inertes
Romphæas rubigo rigens, ſoluſque per urbem
Prætoris, *Radians*, *Nitidusque* oſtenditur *Enſis*.
Arma ſilent, & Quæ ſuaſere valentiùs Arma,
Roſtra ſubacta ſilent; *Calami* franguntur, & *Arcus*
Ecce *Triumphales*! ſoleque ab Amore *Sagittæ*.
Vidit, & obſtupuit *Pubes Trinobantia* Fontes
ProLymphis *undaſſe* Mero, Thameſinque *rubentem*
Mutatis in Vina vadis, quà *Copia* Cornu
Suffuſos, famuliſque redux *Concordia* Nymphis

Indigenûm

Indigenûm viſere domus. *Aſtræa* reviſit
Omne Solum, rictumque lupi non horruit agnus;
Tigrida non metuit vitulus, non Pardalin Hœdus;
Et pulſus modo lacte Puer, per prata Juvencis,
Getulisque Feris, gracili moderatur hibiſco,
Urſaqua non aliis coëunt & Bucula campis.
Audiit ex celſis (veterum ſtirps priſca *Britannûm*)
CAMBRIA Magna Jugis, tandem gaviſa renaſci
Se ſub *Rege* ſuo, cui Nomen *Principis* olim
Walliaci geniale dedit. Gens clarior Illis
Sacrilegas non paſſa manus, ſed amantior Æqui,
Semper erat ſtudioſa DEO, *Sanctis*que dicata
Reddere, *Cæſareis* & quæ ſua, reddere *Sceptris*.
Audiit abjectis Nemoralis IERNA Sagittis,
Et quibus abdiderat ſe lætam protulit antris,
Frondiferisque caſis, quia jam vox nulla Tubarum,
Claſſica nulla foro, ſed Pax tegit aurea Terram,
Aurea Pax Pelagus, *Palinuros* unde vetuſtos
Vidit, & ORMONDUM mox eſt viſura Patronum.
Iacobus perilluſtris Comes *Breconiæ*, Marchio *Ormondiæ*, Pro-rex *Hyberniæ*.
Iam pro *Patricio*, Divo ſibi primitùs uno,
Nacta ſibi plures *Patriarchas*, fida Penatum
Fulcra, Cathedrales inſtauratura Ruinas.
Adſunt Artifices; *Amphion* ſive, vel *Orpheus*
Traxiſſent, ſaltus, & ſaxa ſequacia, miris

Migrârunt

Reverendiſſimis Eccleſiæ Primoribus inſcriptum.

Migrârunt animata modis, conjunctaque pulchro
Fœdere, *Thebanis* imitantia Rudera muris;
Totaque laxatis ſtupuit ſe Patria Portis.
O circumfuſi ſuaviſſima *Filia* mundi!
Hybla *Palæſtinæ*, noſtræque medulla *Canaæ!*
Jugera quà *trudunt* ſegetes, pingueſque per agros
Lactea mellifluis *ſpumant* mulctralia rivis.
O Tellus cognata *Polo!* *Mater*que creatis
Omnibus *Indulgens!* ſolique *Noverca* veneno.
Scilicet infelix vicini Syderis Hoſpes
Nulla per *Ogygias* habitavit *Vipera* Gentes,
Talpa vel effoſſæ repſit per viſcera Terræ.
Non ibi deformis viſus, vociſve coaxat
Rauciſonans *Bufo*; non mortifer *Anguis* ab herbis
Sibilat innocuis, pavidis nec *Aranea* muſcis
Præſtruit inſidias, aut Caſſes tendit *Arachne*.
Rara per *Hibernas* Animalia noxia Terras,
Solus *Homo* Qui natus humo, ſua Toxica terris
Intulit, & proprii ſevit Primordia damni.
Sed demum Gens juncta ſibi eſt; Gremioq; Parentis,
Inque ſinu ſanata ſedens, *Crucis* immemor *Anglæ*
Barbiton inſinuat, digitoſque per omnia doctos
Fila movet, mulcetq; ſuam modulamine Matrem.
Audiit immenſo circundata SCOTIA Ponto

Heroüm, vagina *Ducum*, *Quibus* Enſis, & ingens
Par Enſi *Genius* Patriæ non cortice Thecæ
Siſtilis, Europam ſecuit, *Ferro*que, negatæ
Fortunæ, perrupit Iter. Gens nobilis Armis
Illa Foràs, longum felix caneretur in ævum,
Cunctaque *Belligeros* loquèrentur littora *Scotos*
Ni ſua ſævities, & *Bella Domeſtica*, truncos
Fregiſſent Capulo Gladios, *Alibique virentes*
Civili laceras *fœdâſſent* ſanguine laurus.
Sed tandem revocata ſibi, revaleſcere Crure
Fortius effracto viſa eſt; *ſolennia Pacta*
Iamque dolens, meliora vovet; pertæſaque priſci
FOEDERIS, orc Fidem pariter Fœdusque *novavit*.
Tuque Caledoniis *Benedicte* vocabere paſſim
Cardue nate Jugis, ſolitâque Impunè remiſſâ
Aſperitate, feres *læſæ* medicamina *Genti*.
Irrita primævæ ceciderunt ſemina Rixæ;
Poſtera nec junctum dirimet diſcordia Sceptrum.
Non *Aper* armipotens pingues populabitur agros;
Callida non teneras *Vulpecula* deſtruet uvas;
Nec *Vepres* perdet *violas*: ſed ſponte coïbunt,
Sponte *Rubi* ſub valle *Roſis*, *Montem*que *Roſarum*
Regia Gens, illinc Hoſtis Comes, agmine cingent.
Vaticinor? vel viſa cano, dum *Clerus* ab omni

Iacobum Nobiliſſimum *Iacobum* Marchionem de *Monte-Reſano*, &c.

Parte

Reverendiſſimis Eccleſiæ Primoribus inſcriptum.

Parte ruit, ſerique legens deliria ſæcli,
Iam fugit ambages, fugit Erroreſque viarum,
Et velut *Indiciis* iterum *Cœleſtibus* actus,
Obvia DIVINÆ ſequitur veſtigia FORMAE.
Lætatur cum Pace Fides, Pietasque triumphat,
Quod reparanda brevì ſolitos *Eccleſia* Ritus
Induet, & ſacræ vittis redimita *Tiaræ*,
Illa velut medio ſublimis BASSA Profundo
Scotiaci Regina *ſali*, ſua culmina tollet
Spumiferis intacta vadis; omnique Procellâ
Stabit ovans, ſtreperis ringentibus undique *Sectis*
Caſſaque *Kirkicolo* circumlatrante *Popello*.
Sic triplici *Diadema* Throno, ſenſimque reducta
Delubris ſtabilita Quies, ſtant debita *Vobis*,
Et Veſtro (*ſacer Ordo*) Choro; *Quibus* aurea nunquam
Sæcula ſufficiant pariles perſolvere Grates.
Vertimur; atque Ipſi mirùm mutamur ab Ipſis:
Vivimus; haurimusque novæ *Spiracula* vitæ
Ex quo *Luciferi* nobis Rediiſtis *Elijæ*,
Flammantes *Equites*; Patriisque *Quadriga* Britannis
Ultima *Caroleis* Vos ſpes, & meta *Columnis*;
Anchora Vos *Archæ laceræ*; Vos *Vela* Carinis,
Et *Suber* oppreſſis, levibuſque *Saburra*, Carinis
State, procelloſi emerſi jam fluctibus ævi

Littore

Littore *Naucleri* ſolido; Portuque perenni
Euge Sedete *Patres.* --Nil jam niſi *Vota* ſuperſunt,
Ut PATER Ille Patrum duplicati *Flaminis* Oeſtro
Imbuat Vnanimes, & Cœtubus additus hiſce,
Hos Cœtus velit eſſe *Ratos*; ut *Corpore* tanto
Mens eadem, concorsque *Fides* ſuper Ardua vectos
Vos ferat, & Conſulta piis *ſucceſſibus* æquet.
Erigat unde ſacros Venerabilis INFULA vultus;
Et cum *Lege*, *Greges* SCEPTRIS famulentur *Avitis*;
Priſcaque compoſito redeat Reverentia CLERO.

Quod animitùs apprecatur, & apprecabitur
Veſtratum Clientelæ deditiſsimus,

FITZPAYNÆUS PISCATOR.